

versent per studium et inquisitionem in operibus illius. i. dei. etiam manifestum est ex dictis eorum quod persuasum habet. i. ratum et per rationem probatur quoniam bona sunt que videntur: videlicet ista sensibilia. Sed hec responsio refellit sic. Iterum tamen nec his debet ignoscere. Et exponit per litteras que est ista. Aut est vel tamen per se. scilicet istis non debet ignoscere. i. non debet per excusationem haberi. Et subiungitur ratio in ista. Si enim tantum potuerat scire ut posset estimare seculum quod dominum huiusmodi facilius non inueniret: quasi diceret. Mirum est et si tamen erant ingenij quod istos effectus scire poterat. Ergo causam omnium istorum effectuum vix leuissime scire potuissent. Sed contra illud vltimum videtur esse illud super positum. vi. ca. Difficile estimamus que in terra sunt et que in prospectu sunt inuenimus cum labore: que autem in celis sunt quis inuestigabit? Ergo non poterit facilius inuenisse deum quam estimare seculum. Dicitur doctoribus quod aliud est comprehendere de deo quod est et aliud quid est. Dominum potuerit per prophetas per creaturas. Secundum fuit eis impossibile. Sed quod deus esse hucusque demonstratum non inueni siue ab Aristotele siue a quocunque alio ut dicit quidam doctor. licet ego cum philosopho et alijs solentibus doctoribus in vltima lectione tenuerim et adhuc teneam oppositum. Et ideo iuxta viam illius doctoris aliter ad dictam objectionem respondet deo. Dicit enim secundum mentem beati Augustini. xviii. de ciuitate dei. ca. xxxviii. Ad ante omnes philosophos grecos vel barbaros prophetas sancti preceserunt qui tam verbo quam scripto dei notitiam docuerunt: et ideo deus esse sciam a principio mundi per Adam et filios suos extitit predicari. Cui dico quidam assenserunt. et quidam dissenserunt sicut modo de alijs articulis inuenimus. Isti ergo per prophetas audientes deum esse et a dei cultoribus fuisse predicatum: poterat ex regimine mundi rerum vniuersam gubernare rationabiliter asseruisse deum esse. Et ideo quod errauerunt: eorum vel negligentia vel malicia fuit in causa. Et quia propter reuelationem antiquam diuulgatum est apud omnes gentes legibus videntes deum esse: et quod est omnibus notum videtur ipsa natura notum. Ideo estimo Damascenum dixisse. ij. sententiarum. ca. iij. Cognitio existendi dei nobis natura liter inserta est quibus non ingenij naturalis inuestigatio. sed potius diuina reuelatio dei notitia hominibus fuerit comunicata. Unde dico ad objectionem quod multo facilius est deum. i. scire de deo inuenire quam seculum estimare: quod bene videntibus naturali ingenio deus seipsum aliquo modo reuelat: vel per extrinsecam informationem: vel per intrinsecam inspirationem. Confirmat hec responsio quia nec aliter astronomiam dicitur plurimi adinuenisse tam fuisse. Unde magister in historijs scholasticis super Genesim. de dispersione filiorum Noe: narrat Noe habuisse filium quemdam nomine Bonichum qui accepit a deo sapientiam seu donum sapientie et inuenit astronomiam. Sicut ergo addiscere potuerunt scientiam ad mensurandum quantitate terre solis et lune. Ita potuerunt didicisse colere verum deum. **I**n ista illa clausula. Dominum non inueniunt. Notandum quod ratio quod non quesierunt eum ubi manet. Non enim inueniunt in lasciujs voluptatis. nec in diuinjs vanitatis. nec in confortijs carnalis consanguinitatis. Non inueniunt in lasciujs voluptatis: quia secundum quod scribitur Job. xxxiiij. Non inueniunt in terra suauiter viuendum. Et Lamentationum. iij. In lectulo meo per noctem quesui quem diligit anima mea: quesui et non inueni. Secundo non inueniunt in diuinjs vanitatis: quia **Ecce. v.** In gregibus suis et in armis suis vadent ad querendum dominum et non inueniunt. Tertio non inueniunt deum in confortio carnalis consanguinitatis. Luc. ij. Requirebat eum inter cognatos et notos et non inuenientes eum regressi sunt in hierusalem. Sed inueniunt in presepio panis inuolutus austere penitentie. Luc. ij. Inueniens infantem panis inuolutus: et positum in presepio. Inuenit etiam in domo mude conscientie. **Matth. ij.** Intrans domum inueniunt puerum cum maria matre eius. Tertio autem inueniunt in templo contemplationis deuote. Luc. ij. Post triduum inueniunt eum in templo. **Errauerunt ergo isti philosophi circa diuina et celestia propter nimiam distantiam. Dicit enim Basilus** quod nimia distantia facit errare circa tria: videlicet quantitate. qualitate. et circa figuram. Circa quantitate secundum Basilium et ponit exemplum de sole qui propter nimiam distantiam a nobis apparet vix pedalis quantitate in diametro. Circa qualitate **tem. et.** Et ponit exemplum de velis nauis que cum sint alba apparet multum distantibus esse nigra. **Erratur etiam circa figuram propter distantiam. Et ponit exemplum de turribus que cum sint quadrate. propter nimiam distantiam apparet esse rotunde. Unde auctor de visu proportionem. r. Rectangule magnitudines magna distantia vix pariter apparent. Ubi habet alia translatio. Sicut quadra per distantiam longam visa rotunda apparet. Ratio est. quia in magna distantia anguli quadrati non immutari sensum: quia cuiuslibet visibilis per proportionatam distantiam siue per elongationem visum terminari contingit sicut dicitur per proportionem tertiam eiusdem libri. Isti modo peiores elogiati a celestibus errant circa futuram gloriam tripliciter: quia circa eius quantitate non considerantes quam magna est multitudo dulcedinis tue dicitur. Circa eius qualitate non considerantes quod nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit gloria quam deus se diligens preparauit. Circa eius figuram non considerantes quam stabilis sit et eterna. Est enim in quadro posita: sicut dicitur **Apoc. xxi.** Ipsi autem credidit eam esse rotundam id est volubilem et caducam.**

LECTIO. CLVII
Felices autem sunt
 et inter mortuos est spes illorum. qui